

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Bibliotheca Smithiana, Seu Catalogus Librorum D. Josephi Smithii Angli Per Cognomina Authorum Dispositus

Pasquali, Giovanni Battista

Venetiis, 1755

Ammianus Marcellinus.

urn:nbn:de:gbv:45:1-844

AMMIANUS MARCELLINUS

Romæ, per Georgium Sachfel de Reichenhal, & Bartholomeum Golsch de Hohenbart, MCCCCLXXIV.

*Ad R. D. Ludovicum Donatum [1] Episcopum Bergomensem præfatio
in Ammiano Marcellino, per A. Sabinum [2] Poe. Lau.*

NON possum non mirari, R. P. quosdam viros ita deditos annalibus antiquis atque historiciis, ut si qua deinceps secuta sunt, ea contemnunt, præcipue Christianorum tempore gesta; quod nomen adeo sordet illis, ut tanquam simum cloacasque diffugiant. Equidem fateor, sæcula plura præterita, propter adventum externorum populorum & in urbem confluentium, plurima barbarie usa, sed inde ad nostrum hoc usque tempus quæque videntur mihi limatiora fieri, & quasi in pristinam illam elegantiam esse redacta, vigere ingenia adolescentulorum, & sacra carmina cum Virgilio aut Nasonis cæterorumque poetarum carminibus scribi conferenda. Quare indignè hujusmodi accusant tempora, & infidi, vel forte magis perfidi appellandi sunt, quando a Christianorum nomine tantum abhorrent. Utinam culpa aliquorum principum abesset, qui postquam laudanda facere desiverunt, laudari minime quærunt, laudatoresque poetas & oratores, historiographosque contemnunt. Sed quod Christianorum tempore gesta posthabenda censent, eos crimine dignos antiqui Scriptores declarant, qualis fuit Svetonius, qui licet non christianus, superstitiosum genus Christianorum scribat, tamen non indignos memoratu existimavit. Quin & Cornelius Tacitus eos harenæ exponi solitos ferarum loco, quotiens desuissent, tradit; & eorum auctorem Christum sub Pontio Pilato crucifixum memorat: quæ res fidei Christianæ maximum ut pote Pagani viri perhibet testimonium. Plinius quoque orator & historicus apud Trajanum, nil mali in Christianis reperiri potuisse ostendit, nisi quod Idola nequaquam colerent, & Christum ut Deum ante lucem surgentes adorarent. Adrianus autem per epistolam præcepit, ne quis Christianos sine objectu criminis aut probatione damnare auderet. Quid ergo, cum tanti scribunt de Christianis auctores, reliquos scribentes negligunt? Nos etiam cum superioribus diebus rogati essemus, ut aliquod imprimendum opus daremus, non indignum existimavimus Ammiani Marcellini opus emittendum, qui Veriniani collega sub Constantio & Juliano Augusto militavit, quique de illorum gestis plenissime scripsit. Verum utinam integrum habuissemus, pace aliquorum detrahentium, utilis admodum, necessariusque videtur, propter plura, quæ non ita late apud alios descripta sunt, plura etiam quæ minime apud alios existant. Hi autem critici propterea deprimunt, quia quibusdam interdum vocabulis uti videtur, quibus veteres usi non putantur; quale est diaconus & quædam alia: non advertentes auctoris excusationem, qui ut vim rerum magis exprimere possit, ad ea confugit vocabula, quæ in sui temporis usu fuerant. Itaque inter historiographos dignissimos connumerari potest; vixque tantus Auctor a quartodecimo li-

r 2 bro

[1] Ex veteri, Patritiæque Veneta familia progenitus, ad Bellunensem Episcopalem Sedem, dein ad Bergomensem evedtus, pietate ac doctrina floruit. Obiit anno MCCCCLXXXIV.

[2] *Angelus Sabinus* corona laurea redimitus fuit Sec. XV. Commentaria edidit in Juvenalis Satyras, de quibus infra.

